

*L. D. B. V.*  
**PROPOSITIONES  
PHILOLOGICAE,**

Quas  
Rectore Magnificentissimo,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
Principe Regio et Electoratus Saxon.  
Herede, &c. &c.

Publicae ventilationi subiiciunt  
**PRAESES**  
**IO. CHRISTOPHORVS  
VVICHMANNSHAVSEN,**

LL. OO. Prof. Publ.  
&  
**RESPONDENS**  
**M. JO. CHRISTOPH. FISCHERVS,**

Oeringensis Hoenloicus in Francis,  
*In Auditorio Maiori, Horis Antemeridianis,*  
*D. 27. Jul. Anno cl. I. CCIX.*

**VITEMBERGAE,**  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

39.

Coll. diss. A  
236, 4

*Diss. A. 236 (4)*

*XXXII*

**D**ecimus mensis *Tisri* dies יֹם הַכְפּוּרִים *Dies expiationis* dictus est, quo *Pontifex Max.* Sanctum Sanctorum, non aureis, gemmatisque, sed lineis vestibus, ut ex *Lev. XVI. 4.* liquet, indutus, eo consilio intravit, ut factis, quae a Deo instituta, et huic diei velut propria erant, sacris solemnibus, omnes universi populi noxas expiaret, eidemque divini pacem numinis oraret. Inde est, quod ab Ebraeis etiam κατ' ἔξοχὴν *יום רָבָא* five *Dies*, et *יום רָבָא Dies magna* nuncupatur.

Vestibus sacris sacerdotes non, nisi, cum sacris operantur, adeoque tantum in templo, nunquam, quum extra istud essent, ordinarie usi sunt *Exod. XXVIII. 3. 4. et 35.*

Albas vestes, cum pretiosiores illas, ex lino *Pelusiaco* confectas, quibus mane, tum minus pretiosas, ex lino *Indico* textas, quibus vesperi *Pontifex Max.* die X. Mensis *Tisri*, ex *Talmudistarum* mente *Zoma c. III. Hal. VII.* usus erat, in vestiario non custoditas, neque in alterius anni usum servatas, sed singulis annis novas factas esse, auctor est praeter ceteros *Zarchius ad Lev. XVI. 23.*

Primum genus vestium, quo se mortales muniverunt, ex arborum foliis factum est, ejusque inventores ac textores primi homines ipsi fuerunt. Praeter rationem ergo *Diodorus, Plinius, alii, Pelasgum, Mercurium, Minervam, Arachnen*, ceteros, primos vestimentorum auctores ac effatores asserunt.

Lumbi *Judeis*, dum agnum paschalem comedenter, *Exod. XII. 11.* ideo cingendi erant, ut, tunicis hac ratione altius attractis, expeditiores ad faciendum iter pedes redderentur.



## VI.

Peregrinantes olim scipionibus uti consueuisse, ex l. c. *Exod. et Jacobi* exemplo *Gen. XXXII. 10.* manifesto colligitur. Eundem morem in *Graecia* quondam obtinuisse, ex eo liquet, quod *Viatores* ab iis communiter παθδάχες à παθδω, sive *baculo*, nuncupatos esse deprehendimus.

## VII.

*Traditio calcei*, cuius *Rutb. IV. 7.* mentio injicitur, non erat signum, quo ducenda fratriae renunciaretur, sed ordinaria contractuum confirmatio. Perinde enim ut nostra aetate *clavium traditio*, *pedum positio*, alia, ad firmandam solemniter ac stabiendum pactorum contractuumque auctoritatem adhibentur: ita etiam olim, qui calceum tradebat, se alteri dominium et jus adeundae possessionis concessisse significabat.

## VIII.

Quanquam expressis Scripturae Sacrae verbis Sacerdotibus calceorum usu interdictum non est: recte tamen ex eo, quod nullum de conficiendis calceamentis, ut de aliis vestibus, praeceptum extat, colligimus, nefas fuisse sacerdotibus calceatis sacra facere: praesertim cum *Mosi* et *Josuae* prius necessitas exuendi calceos, sive, quae Ebraeae vocis של vis est, iis sese spoliandi, ab ipso Deo sit imposita, quam ad Deum accedere proprius possent.

## IX.

Quot פָעַמּוֹנִי זְהֻבָּ tintinnabula aurea summi sacerdotis fimbriae intexta fuerint sacer quidem Codex non definit. *Justinus* tamen *Martyr* in Dialogo cum *Tryphone*, duodecim fuisse, ad Apostolorum numerum, statuere ausus est: a quo *Prosp̄er*, *Durandus*, *Clemens Alexandrinus*, alii, qui partim quinquaginta, partim octoginta, partim trecenta ac sexaginta sex extitisse divinant, multum differunt. *Judaei*, et si qui Christianorum cum iis faciunt, LXXII, ad numerum Seniorum, qui in Magnum Synedrium conscripti erant, omnemque populum Israeliticum repraesentabant, fuisse, vulgo existiunt.

## X. So-

## X.

Solis sacerdotibus panibus propositionis, qui *Exod. XXV.*  
**30.** לְחַם הַפְנִים et *Levit. XXIV.* 7. לְחַם לְאֹכֶרֶת, a LXX. autem  
 ἀργίαι ἐνώπιοι, et ἀργίαι προθέσεως, appellantur, vesci ordinarie lice-  
 bat. Prorsus ergo extra ordinem, ac praeter consuetudi-  
 nem, Davidi *I. Sam. XXI.* 6. iisdem vesci concessum est.

## XI.

Hi panes, ex farina triticea pisti, singuli mensuram dua-  
 rum *Ephae* decimarum, ut *Levit. XXIV.* 5. narratur, poscebant.  
 Numero XII. erant, geminaque serie seni e regione, una-  
 cum thure puriore, singulis sabbatis novi ac recentes, men-  
 sae aureae imponebantur.

## XII.

Vox מִקְרָשׁ templum, non urbem Hierosolymitanam, de-  
 signat. Quanquam enim Maimonides ad c. IV. רָאשׁ הַשְׁנָה vo-  
 cabulo isto יְרוּשָׁלָיִם כָּלָה totam Hierosolymam complectatur:  
 utraque tamen glossa cum Titulo, quem diximus, edita, et  
*Bartenora*, urbem, quam ad מִרְינָה provinciam rectius referunt,  
 a מִקְרָשׁ clarissime distinguunt.

## XIII.

Templa Hierosolymitana tantum duo fuerunt, *Salomoneum*,  
 à Salomone extructum, et a Chaldaeis dirutum: alterum *Zoro-*  
*babelianum*, ab ζεροδιωκή Zorobabele appellatum, ac tandem  
 a Romanis destructum. Herodianum autem, quod *Joseph. Libr.*  
*XV. cap. ult. Antiq. et Lib. VI. c. VI. et XVI. de Bello Judaico*  
 describit, non diversum aut tertium templum, sed cum *Zo-*  
*robabeliano* idem, splendidius tamen ac magnificentius ab *He-*  
*rode* exornatum, dici meretur.

## XIV.

Templum *Samaritanum* indultu *Alexandri M. a Saneballeto*,  
*Manassis*, fratris *Jaddi*, Pontificis Hierosolymitani, socero in  
*Garizim*, celeberrimo Samariae monte, anno ante Christum  
 natum CCCXXIX, conditum, ab *Hyrcano* autem, *Judeo-*  
 rum Rege, posteaquam ille *Samariam* armis subegit,  
 et solo aequavit, eversum est.

fol. 111. diss. A. 236, u. sc. 4